

DIE I MENSIS IUNII ANNO MMXIII DE VITA DECESSIT

IOANNA ŁAWIŃSKA-TYSZKOWSKA

UNIVERSITATIS WRATISLAVIENSIS PROFESTRIX ORDINARIA EMERITA
SOCIETATIS PHILOLOGAE POLONORUM HONORARIA SODALIS

VILNAE DIE XV MENSIS NOVEMBRIS ANNO MCMXXXIV NATA
GYMNASII CRUCIBURGENSIS ATQUE
UNIVERSITATIS WRATISLAVIENSIS ALUMNA
IN INSTITUTO PHILOLOGIAE CLASSICAE WRATISLAVIENSI
PER DECEM FERE LUSTRA IUVENTUTI STUDIOSAE DOCENDAE
NAVITER OPERATA

LITTERARUM GRAECARUM IMPRIMIS COMOEDIAE VETERIS
NEC NON CARMINUM BUCOLICORUM EPIGRAMMATUMQUE
INVESTIGATRIX ACUTISSIMA

GEORGII ŁANOWSKI PRAECEPTORIS SUI VESTIGIA SECUTA
POEMATIS GRAECORUM POLONICE MIRA SUBTILITATE
REDDENDIS INSERVIVIT:

NAM ET HERONDAM ATQUE CALLIMACHUM
POLONICA VELUT VESTE INDUTOS NOSTRATIBUS OSTENDIT
ET OMNES ARISTOPHANIS FABULAS ACCURATISSIME SALSISSEQUE
AD LINGUAM NOSTRAM ACCOMMODAVIT

FEMINAM DOCTRINA URBANITATE BENEVOLENTIA CONSPICUAM
FATIS INEXORABILIBUS POST DIUTINUM MORBUM NOBIS EREPTAM
GRAVITER LUGEMUS